



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

C. PLINII SECUNDI
HISTORIAE NATURALIS

AD TITUM IMPERATOREM

P R A E F A T I O.

*Ex MSS. & veteri Editione recensuit &
notis illustravit*

DAVID DURANDUS.


L O N D I N I,

Apud GULIELMUM INNYS,

Typis Robertianis.

M D C C X K V I I I.





REG. SOCIETATIS LOND.
QUA PATET ORB. TERRARUM
LONGE CELEBERRIMAE,
DIGNISSIMO PRAESIDI,
CL. HANS SLOANE,
EQUITI AURATO,
M. BR. REG. GEORG. II. MED.
REG. SCIEN. ACAD. PARIS.
SOCIO HONORARIO,
OMNIBUS ANIMI CORPORISQ,
BONIS SPLENDIDO,
ARTIUM LIBER. ET SUAE
PRAESERTIM FAUTORI ET
PROMOTORI ASSIDUO,
A 2 ATQUE

ATQUE A DEO NATURAE RER.

ECUIUS MAIESTATEM UNIV.

IN ARCTO COACTAM

INDOMI HABET UNUS,

INDAGATORI DILIGENTISS.

ET FELICITER CURIOSO.

UT ET

CETERIS OMNIBUS

EIUSD. COLLEGII SOCIIS

NOBILISSIMIS,

NON TANTUM IMAGINIB.

FORTUNA, LOCO, RE,

ARTIS ET

ARTE, SCIENTIA, LITTERIS,

VIRTUTE ET HUMANITATE

CONSPICUIS:

VIRIS

VIRIS
AD COELI ILLUSTRATIONEM,
MARIS UTRIVSQUE SECURITATEM,
TERRAE IPSIUS BENIGNAM
FERTILITATEM,
VITAE OMNIS ORNAMENTUM,
AC FRAGILIS PRAECIPUE
ET LABORIOSAE MORTALITATIS
SOLATIUM,
NON TAM NATIS QUAM
IPSO COELO DELAPSI;
ET NUNC COELESTI PASSU
HOMINES IUVANDO DEMERENDOQUE
EODEM TENDENTIBUS:

HANC

HANC
C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIAE
PRAEFATIONEM
EX SOCIETATIS BIBLIOTH.
CODICE MSCRIPTO,
QUALICUNQ. LUCE DONATAM,
SEU SPECIMEN INDUSTRIAE
IN PLINIO COLLOCANDAE,
EA QUA PAR EST OBSERVANTIA,
DICAT, DEDICAT, CONSECRAT,
DAVID DURANDUS, E. A. P.
IDIB. QUINT. AN. MDCCXXVIII.

C. PLI-

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIAE
P R A E F A T I O.

C. PLINIUS SECUNDUS
VESPASIANO SUO. S.

LIBROS Naturalis Historiae, no- 1
L vitium Camenis Quiritium tuorum
opus, natos apud me proximâ feturâ, li-
centiore epistola narrare constitui Tibi,
JUCUNDISSIME IMPERATOR: fit enim haec
Tui praefatio verissima, dum maximo con-
fenescit in Patre:

NAMQUE TU SOLEBAS
MEAS ESSE ALIQUID PUTARE NUGAS:

ut objicere moliar CATULLUM, conterra-
neum meum: agnoscis & hoc castrense
verbum: ille enim, ut scis, permutatis pri-
oribus setabis, duriusculum se fecit; quae
volebat aestimari a Veraniolis suis & Fa-
bullis.

SIMUL ut hac mea petulantia fiat, 2
quod proxime non fieri questus es in alia
B pro-

procaci epistola nostra, ut in quaedam acta exeant; sciantque omnes quam ex aequo Tecum vivat Imperium. Triumphalis & Censorius Tu, sexiesque Consul, ac Tribunitiae potestatis particeps, & quod his nobilius fecisti, dum illud Patri pariter & Equestri ordini praestas, Praefectus Praetorii ejus; omniaque haec Reipublicae; & nobis quidem qualis in castrensi contubernio: nec quicquam in Te mutavit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses ut velles. Itaque quum ceteris in venerationem Tui pateant omnia illa; nobis, ad colendum Te familiaris, audacia sola superest: hanc igitur Tibi imputabis & in nostra culpa Tibi ignosces.

PERFRICUI faciem, nec tamen profeci; quoniam aliâ viâ occurris ingens & longius etiam submoves ingenii fascibus. Fulgurat in nullo unquam verius dicta vis Eloquentiae, Tribunitiae potestatis facundiae. Quanto Tu ore Patris laudes tonas! quanto Fratris amas! quantus in Poëtica es! O magna foecunditas animi! quemadmodum Fratrem quoque imitareris excogitasti! Sed haec quis possit intrepidus aestimare, subiturus

turus ingenii Tui judicium, praesertim la-
 cessitum? Neque enim similis est conditio
 publicantium, & nominatim Tibi dicanti-
 um: tum possem dicere; *Quid ista legis
 Imperator? humili Vulgo scripta sunt; agri-
 colarum, opificum turbae, denique studiorum
 otiosis: quid Te judicem facis? quum hanc
 operam condicerem, non eras in hoc albo: ma-
 jorem Te sciebam, quam ut descensurum huc
 putarem.* Praeterea est quaedam publica
 etiam Eruditorum rejectio. Utitur illa &
 M. TULLIUS, extra omnem ingenii aleam
 positus, &, quod miremur, per advoca-
 tum defenditur:

NĒC DOCTISSIMIS:

MANIUM PERSIUM HAEC LEGERE NOLO,
 JUNIUM CONGUM VOLO.

Quod si hoc LUCILIUS, qui primus condi-
 dit styli nasum, dicendum sibi putavit; si
 CICERO mutuandum, praesertim quum de
 Republica scriberet; quanto nos causatius
 ab aliquo iudice defendimur? Sed haec
 ego mihi nunc patrocina ademi nuncupa-
 tione; quoniam plurimum refert, fortiatur

aliquis Judicem, an eligat; multumque apparatus interest apud invitatum hospitem, & oblatum. Quum apud CATONEM, illum ambitus hostem & repulsis, tanquam honoribus inemptis, gaudentem, flagrantibus comitiis, pecunias deponerent candidati; hoc se facere, quod tum Porcio innocentia rebus humanis summa inesset, profitebantur: inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio, O TE FELICEM, M. PORCI, A QUO REM INPROBAM PETERE NEMO AUDET! Quum Tribunos adpellaret L. SCIPIO Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc adtestabatur, VEL INIMICO JUDICI SE PROBARI POSSE: adeo summum quisque causae suae judicem facit quemcunque, quum eligit: [unde provocatio appellatur.] Te quidem in excelsissimo humani generis fastigio positum, summâ eloquentiâ, summâ eruditione praeditum, religiose adiri etiam a salutantibus scio; & ideo subit cura, ut quae Tibi dicantur, Te digna sint. Verum & Diis lacte rustici multaeque gentes supplicant & molâ tantum falsâ litant, qui non habent thura: nec ulli fuit vitio Deos colere, quoquomodo posset.

MEAE

M E A E quidem temeritati accessit hoc 4
 quoque, quod levioris operae hos Tibi
 dedicavi libellos: nam nec ingenii sunt
 capaces, quod alioquin nobis perquam
 mediocre erat; nec admittunt excessus,
 aut orationes, fermoneſve, aut casus mira-
 biles, vel eventus varios, nec jucunda
 dictu, aut legentibus blanda, sterili mate-
 riâ. Rerum natura, hoc est, Vita narratur,
 & haec sordidissima sui parte; ut plu-
 rimarum rerum, aut rusticis vocabulis, aut
 externis, imo barbaris, etiam cum hono-
 ris praefatione ponendis.

P R A E T E R E A iter est non tritâ auctōribus 5
 viâ, nec qua peregrinari animus expetat:
 nemo apud nos, qui idem tentaverit; nemo
 apud Graecos, qui unus omnia ea tractave-
 rit. Magna pars studiorum amoenitates
 quaerimus. Quae vero tractata ab alijs di-
 cuntur inmensae subtilitatis, obscuris rerum
 tenebris premuntur. Jam omnia adtingen-
 da, quae Graeci τῆς Ἐγκυκλοπαιδείας vocant,
 & tamen ignota, aut incerta ingeniis facta:
 alia verò ita multis prodita, ut in fastidi-
 um sint adducta. Res ardua vetustis no-
 vitatem dare, novis auctōritatem, obsole-

tis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & Naturae sua omnia. Itaque etiam non adfecutis voluisse, abunde pulchrum atque magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui, difficultatibus victis, utilitatem juvandi praetulerunt gratiae placendi; idque jam & in aliis operibus ipse feci: & profiteor mirari me T. LIVIUM, auctorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab origine Urbis, quodam volumine sic orsum: SATIS JAM SIBI GLORIAE QUAESITUM, & POTUISSE SE DESINERE, NI ANIMUS INQUIES PASCERETUR OPERE: Profecto enim populi gentium victoris & Romani nominis gloriae, non suae, composuisse illa decuit: majusque meritum esset, operis amore, non animi causa, perseverasse, & hoc Pop. Romano praestitisse, non sibi.

i. VIGINTI millia rerum dignarum cura; quoniam, ut ait Domitius Piso, THESAURUS OPORTET ESSE, NON LIBROS; ex lectione voluminum circiter duum millium, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter

propter secretum materiae, ex quaesitis auctoribus centum, inclusimus triginta sex voluminibus; adjectis rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut postea inveni-
erat vita: nec dubitamus multa esse, quae & nos praeterierint: homines enim sumus & occupati officiis, subcisivisque temporibus ista curamus, id est, nocturnis; ne quis Vestrum putet his cessatum horis: dies Vobis impendimus; cum somno valetudinem computamus; vel hoc solo praemio contenti, quod *DUM ISTA*, ut ait M. Varro, *MUSINAMUR*, pluribus horis vivimus: profecto enim vita vigilia est. Quibus de causis atque difficultatibus nihil auso promittere, hoc ipsum Tu praestas, quod ad Te scribimus: nec fiducia operis haec est, sed indicatura: multaque valde pretiosa ideo videntur, quia sunt Templis dicata.

Nos quidem omnes, *PATREM, TE, FRATREM*que diximus opere justo, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii. Ubi sit ea, quaeres? Jam pridem peracta fancitur; & alioquin statutum erat heredi mandare, ne quid ambitioni dedisse vita judicaretur. Proinde occupantibus locum

faveo ; ego vero & posteris, quos scio nobiscum decertaturos, sicut ipsi fecimus cum prioribus.

8. ARGUMENTUM hujus stomachi mei habebis, quod, in his voluminibus, Auctorum nomina praetexui. Est enim benignum, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris ; non, ut plerique ex iis quos adtigi fecerunt : scito enim conferentem Auctores me deprehendisse a juratissimis & proximis veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos : non illa Virgiliana virtute, ut certarent ; non Ciceroniana simplicitate, qui, in libris de Republica, PLATONIS *SECOMITEM* profitetur ; in Consolatione filiae, CRANTOREM, inquit, SEQUOR ; item, PANNAETIUM de Officiis : quae volumina ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda, nosti. Obnoxii profecto animi & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere ; quum praesertim fors fiat ex usura.

9. INSCRIPTIONIS apud Graecos mirae felicitas : *Κηρίον* inscribere, quod volebant intelligi FAVUM : alii *Κέρως ἀμαλθείας*, quod
 COPIAE

CORNAE CORNU; ut vel lactis Gallinacei sperare possis in volumine haustum. Jam jam ἴα, Πανδέκται, Ἐνχειρίδιον, Λειμών, Πίναξ, Σχέδιον, inscriptiones, propter quas vadium deserui possit: at quum intraveris, Dii Deaque, quam nihil in medio invenies! Nostri crassiores, ANTIQUITATUM, EXEMPLORUM, ARTIUMQUE: facetissimi, LUCUBRATIONUM; ut qui BIBACULUS erat & vocabatur: paulo minus serio Varro, in Satyris suis, SESCULYSSEM & FLEXTABULA. Apud Graecos desuit nugari DIODORUS & Βιβλιοθήκης historiam suam inscripsit: APION quidem Grammaticus, hic quem Tiberius Caesar CYMBALUM MUNDI vocabat, quum PUBLICAE FAMAE TYMPANUM potius videri posset, *immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat.* Me non poenitet nullum festiviorem excogitasse titulum; & ne in totum videar Graecos infectari, ex illis mox velim intelligi pingendi, fingendique Conditoribus, quos in libellis his invenies, absoluta opera & illa quoque quae mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse; ut, APELLES FACIEBAT, aut, POLYCLETUS; tanquam incho-

atâ

atâ semper arte & imperfectâ, ut contra
 judiciorum varietates superesset Artifici
 regressus ad veniam, velut emendaturo
 quidquid desideraretur, si non esset inter-
 ceptus: quare plenum verecundiae illud
 est, quod omnia opera tanquam novissi-
 ma inscribere & tanquam singulis fato a-
 dempti: tria, non amplius, ut opinor, ab-
 solute traduntur inscripta, ILLE FECIT;
 quae suis locis reddam: quo adparuit sum-
 mam artis securitatem auctori placuisse:
 & ob id magnâ invidiâ fuere omnia ea.
 Ego plane meis adjici posse multa confite-
 or; nec his solis, sed & omnibus quos e-
 didi: ut obiter caveam istos HOMEROMAS-
 TIGAS; ita enim verius dixerim; quoni-
 am audio Stoïcos & Dialecticos & Epicu-
 reos quoque; nam de Grammaticis semper
 exspectavi; parturire adversus libellos, quos
 de Grammatica edidi, & subinde abortus
 facere jam decem annis; quum celerius
 etiam Elephanti pariant: ceu vero nesciam
 adversus THEOPHRASTUM, hominem in
 eloquentia tantum, ut nomen divinum inde
 invenerit, scripsisse etiam feminam, &
 proverbium inde natum, SUSPENDIO AR-
 BOREM

BOREM ELIGENDI. Non queo mihi temperare, quominus ad hoc pertinentia ipsa Cenforii CATONIS verba ponam, ut inde adpareat, etiam Catoni de Militari Disciplina commentanti, qui sub AFRICANO, imo vero & sub HANNIBALE didicisset militare, & ne Africanum quidem ferre potuisset, qui Imperator triumphum reportasset; paratos fuisse istos, qui obtreccatione alienâ scientiæ famam sibi aucupantur: quid enim ait in eo volumine? SCIO EGO QUAE SCRIPTA SUNT, SI PALAM PROFERANTUR, MULTOS FORE QUI VITILITIGENT; SED II POTISSIMUM QUI VERAE LAUDIS EXPERTES SUNT: EORUM EGO ORATIONES SINO PRAETERFLUERE. Nec PLANCUS inlepide, quum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso aut liberis, post mortem Planci, ederentur, nec respondere posse; CUM MORTUIS, inquit, NON NISI LARVAS LUCTARI: quo dicto sic repercussit illas, ut apud Eruditos nihil impudentius iudicetur. Ergo securi etiam contra Vitilitigatores, quos Cato eleganter ex *vitiis* & *litigatoribus* composuit; quid enim illi aliud quam litigant aut

aut litem quaerunt? exsequamur reliqua
propositi.

10. QUIA vero occupationibus tuis publico
bono parcendum erat; quid singulis con-
tineatur libris, huic epistolae subjunxi,
summâque curâ, ne perlegendos eos ha-
beres, operam dedi. Tu per hoc & aliis
præstabis ne perlegant; sed ut quisque
desiderabit aliquid, id tantum quaerat,
& sciat quo loco inveniatur: hoc ante me
fecit in litteris nostris VALERIUS SORANUS,
in libris quos Ἐποπτίδων inscripsit.



IN PRAEFATIONEM
ANIMADVERSIONES.

Vespasiano suo s.] Sic Mff. fere omnes, ut Londinensis quoque. At Ven. 1. *Vespasiano Aug^o*. sed ea verba calamo & rubrica scripta sunt, ut tituli omnes librorum & capitum in ea Editione. Alii, *D. Tito Vespasiano*; quasi Imperatori jam mortuo scripturam suam dicaret. Quin & apud Dalecampium, *C. Plinii ad Divum Vespasianum Praefatio*: quem splendide imitati sunt Editionis Leydenensis consarcinatores. Vellem homines viderent quid exscribant, antequam typis mandent.

Natos apud me proxima fetura.] Sic optimus codex Londinensis, ut jam omnino confirmetur ac veluti sanciat B. Rhemani conjectura; qui quum in suo Murbaensi invenisset *natus*, ex eo fecit *natos*, scilicet *libros*. Eleganter: eos enim quasi catulos, scitos illos mehercule, nec minus novitate quam numero conspicuos, ex proxima ingenii fetura sibi genitos, jucundissimo

14 IN PRAEFATIONEM

diffimo offert Imperatori & epistola libe-
riore comitatur. Sic & infra: *Quoniam*
audio & Stoïcos & Dialecticos & Epicureos
quoque (nam de Grammaticis semper expecta-
vi) PARTURIRE adversus libellos, quos de
Grammatica scripsi; & subinde ABORTUS
FACERE jam decem annis, quum celerius etiam
Elephanti pariant. Qui vero hic natum in-
ducunt, ut ad opus referant, ut fecit Cl.
Harduinus, primum non vident id acci-
diffe in libris amanuensium inscitiâ, nimi-
rum ob antecedentem vocem, ut saepius
factum in antiquis auctoribus, sed prae-
fertim in nostro. Deinde elegantiam loci
haud satis animadvertunt: quis enim ferat
opus natum proxima fetura? at libellos con-
tra, optime; tam multos praecipue, ea-
dem domo, apud se nempe, genitos, iis-
dem fere pellibus aut membranis contactos
& conjunctissime inter se habentes. Audi
Maronem, Ecloga VII. ad Priapum:

Nunc Te mormoreum pro tempore fecimus;
at Tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

Nar-

Narrare constitui Tibi.] Historicae narrationis filo contexere, inquit Harduinus, sine ullis dicendi oratoris ornamentis. At quae voluit contexere? opusne ipsum, an historiam operis propositi? Haud satis apparet quid sibi voluerit commentator. Ego de ipsa Epistola, sive Nuncupatione intelligo, in qua totius operis argumentum, rationem & cetera, primum in genere, in ipsa praefatione, deinde & particulatim, in Elencho subsequente, enarrare constituit: eodem fere sensu Terentius in Prologo:

*Nam in Prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris Poetae maledictis respondeat.*

Jucundissime Imperator.] Mss. fere omnes, ut & Lond. & Ven. 1. *Jucundissime, jocunda, fulgora, fulgorat, & similia scribunt ubique: quod semel adnotatum volui.*

Sit enim haec Tui praefatio verissima] Una opera, inquit Harduinus, Patri ac filio adulatur; ceteras quascumque adpellationes utrique communes esse indicans, dum jucunditatis propriam Tito adscribit; quae quidem naturae lege

16 I N P R A E F A T I O N E M

lege florentis aetatis est, non senescentis. Sic ille & recte quidem haecenus. Quod vero subjungit, simul & ad Titi cognomen alludit, AMOR AC DELICIAE GENERIS HUMANI, ut est apud Tranquillum; id vero perperam animadversum existimo. Neque enim est credibile ita vulgo fuisse dictum Filium vivente Patre & Imperatore: non enim solemus ita prolixè blandiri Dominorum filiis, ut talia iis cognomina statim tribuamus: neque etiam Suetonius tradit: imo vero contrarium diserte significat. Titus, cognomine paterno, amor ac deliciae generis humani, tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunae superfuit; & quod difficillimum est, in imperio, quando privatus, atque etiam sub Patre principe, ne ODIO quidem, nedum VITUPERATIONE publica caruit. Cujus deinde odii causas singillatim exsequitur. De ambitione primum: Unde nata suspicio quasi descisset a Patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. . . De saevitia: Praefecturam quoque Praetorii suscepit . . . egitque aliquanto incivilius & violentius, siquidem suspectissimum quemque sibi . . . haud cunctanter

A N I M A D V E R S I O N E S. 17

ter oppressit: quibus rebus, sicut in posterum securitati satis cavet, ita ad praesens plurimum contraxit INVIDIAE; ut non temere quis tam ADVERSO RUMORE, magisque INVITIS OMNIBUS transferit ad principatum. De luxuria pariter: Praeter saevitiam, suspecta etiam in eo luxuria erat, nec minus libido, propter exoletorum & spadonum greges; quibus etiam addit Reginae externae amorem. De avaritia denique: Suspecta & rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari, praemiarique solitum: itaque eum alium Neronem & opinabantur & propalam praedicabant. Quibus rumoribus atque criminationibus non ante liberatus est, quam principatum adeptus sit. At illi, inquit, ea fama pro bono cessit, conversaque est in maximas laudes, neque ullo vitio reperto & contra virtutibus summis. Quin & ipsam Berenicen, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur, statim, hoc est, initio principatus, ab urbe dimisit invitam. Ergo post obitum patris, eam demum adpellationem accepit, & in dies magis ac magis usque ad obitum meruit. Sed supponamus sub Patre Principe jam habuisse eum, cur Plinius

18 IN PRAEFATIONEM

ea de re tacet? cur non memorat? cur non tollit ad caelum, talem & tantam laudem tribui juveni, vivente patre Imperatore; quod inauditum prorsus fuerat? at *Jocundissimum* dixit. Itane vero; quasi nihil interesset inter *Jocundum* & *Amorem ac delicias generis humani*.

Dum maximo consenescit in patre.] Codex Murb. antiquissimus, *maxime*; quod Rheno fatis placet, ea tamen lege & conditione ut pro adverbio sumatur. Londinensis & Ven. 1. *maxime* quoque, vocandi casu, an pro adverbio, dubium. Hermolai codices aut *maxime*, aut *maximi*; quod ultimum praefert diligentissimus ille Plinii nostri Castigator: *ut sit sensus, inquit, jocundissimum recte dici eum, quoniam maximi praefatio consenescit in patre, ceu majestati ejus & aetati debita.* Quarum lectionum nulla placet nobis. Non adverbium, quoniam eo modo sententia frigeret prorsus & indecora patri evaderet. Non *maxime*, vocandi casu, quod vereor non esse Pliniani nitoris. Neque etiam *maximi*, quod Latinum quidem est, sed praeposterae sententiae: quasi majestas Principis
aetate

aetate confenesceret, aut minus venerabilis annis fieret; aut filius ideo jucundissimus esset, quod magnitudo patris in dies minueretur. Nam *fenescere*, aut *confenescere* ea dicimus, quae languere incipiunt & ad interitum vergunt, vel ipso Plinio Juniore teste, in epist. 16. lib. VI. *Nubes oriebatur, cujus similitudinem & formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco efflata in altum quibusdam ramis diffundebatur: credo, quia recenti spiritu eveeta, dein SENESCENTE eo destituta, aut etiam pondere suo vieta, in latitudine vanescebat.* Jam vides non debuisse dici a Plinio *maximi* praefationem in *patre confenescere*. Ergo jucunditas sola, quam filio tribuit, in patre confenescebat: sed ne videretur detrahare patri, quod in filium conferret, suam utrique laudem & propriam quidem adscribit. *Sit enim, inquit, haec Tui praefatio verissima, dum maximo confenescit in patre: ut quem olim plane festivum & jucundum experti fuimus, eundem nunc ut maximum & venerabilem suspiciamus, nullam inter Patrem & Filium differentiam praeter aetatis.*

20 IN PRAEFATIONEM

Namque Tu solebas.] Exemplo se tuetur Catulli conterranei sui, hominis elegantissimi, qui quum sua carmina publicaret, ea Corn. Nepoti dedicavit, amico atque harum elegantiarum optimo judici, qui ea dudum probaverat, ideoque & contra reprehensores defendere debebat; *Quare, inquit, habe Tibi quicquid hoc libelli & quaecunque:* Sic quoque noster libellos suos Imperatori dedicat, quasi amico & contubernali veteri, qui sua omnia jam publicata magni faciebat & epistolam illam priorem, nobis deperditam, in acta quaedam non exiisse querebatur. Ergo habe Tibi quae desiderasti, Jucundissime Imperator, quaeque aliquid esse putasti, ea lege tamen ut jam pro tuis defendas.

Ut objicere moliar Catullum conterraneum meum] Sic Mss. fere omnes. Murbac. & Lond. *obicere molliam,* & Ven. i. *moliar:* ut & alii Hermolai & Harduini. Nam quod volunt alii legendum esse, *ut obiter emolliam Catullum conterraneum meum;* quasi ea sumpta occasione, statim initio Epistolae, Grammaticum agere voluisset vir sapientissimus, & celeberrimum auctorem,
cujus

cujus exemplo praecipue se tuetur, ut duriusculum reprehendere, qui & ipse aliis stilo duriusculus visus est; id ego prorsus mihi persuadere non possum: neque etiam necesse est. *Ut objicere, inquit, moliar Catullum, conterraneum meum*; scilicet ut suavissimi conterranei exemplo, si possum, quasi clipeo, me defendam. Ille, enim, ut scis, amicitiae leges tam sancte colebat, ut, quae ab amicis dono acceperat, quamvis minima, nunquam sibi avelli aut extorqueri sineret; quin & hendecasyllabos trecentos Asinio intentaret, ni ea redderet; non quia tanti essent, sed quae volebat aestimari a Veraniolis suis & Fabullis, a quibus acceperat. Hoc, inquam, exemplo me defendam: Si semel enim hos libellos a me placide, ut soles, acceperis; tunc pro tuis habebis & defendes; non quod ea per se sint tanti, sed nimirum quia ab amico vetere & contubernali dono acceperis. Quum autem ratio haec longe petita & quasi detorta videri posset, ideo non sine molimine quodam huc ducitur: *ut objicere moliar Catullum, conterraneum meum.*

22 IN PRAEFATIONEM

Agnoscis & hoc castrense verbum] Nimirum duo verba castrensia protulerat: quorum alterum est, *ut objicere moliar*, alterum, *conterraneum meum*: De *molimine* per se clarum est; de *conterraneo*, disputatur inter Eruditos. Illud fatetur, hoc negat Harduinus: ego vero utrumque pro militari accipio, nec aliter sententia constat. Qui autem haec accipiunt pro emollitione Catulliani carminis, ii nobis dicant, quae sint ea verba castrensia. Sine dubio enim duo esse debent, *agnoscis ET hoc castrense verbum*, quod nondum intellexerant interpretes.

Ille enim, ut scis, permutatis prioribus setabis.] Mss. fere omnes, *syllabis*: sed Londinensis, *fittis*, ut mendum facile olfacias. Quum enim τ *setabis* non fatis intelligerent exscriptores, facile mutarunt in τ *syllabis*. Sed restituit demum & liquida hunc difficillimum locum perfudit luce doctissimus Harduinus: quem vide. Pauca & hic subjungam, quae eum praeteriere. Et primum quidem, *ut scis*, quid habet falis aut leporis, si de isto Catulli primo carmine intelligas; quasi id ignorare posset

set aliquis Romanorum, qui istum poetam vel semel inspexissent. Verum si agatur de sudariis setabis sibi ademptis & carmine duodecimo repetitis; tunc non male interponit, *ut scis*; quasi diceret; Non ita Te totum gravioribus negotiis inmergis, ut amoenitates nostras despicias: Imo vero optime nosti quid in isto Conterraneo meo sit magis venustum & amabile; nec Te praeterit certe quales leges imponat verae amicitiae, quo zelo, qua carminum asperitate amicorum dona vindicet.

Duriusculum se fecit] Hoc est, amarum & acerbum: nam si de metri legibus aut syllabarum permutatione, hoc intelligas, ut Is. Vossius & alii voluere, jamdudum ridiculus Hermolao, vapulabis etiam Harduino: nec immerito sane, cum nihil sit causae, cur in limine Epistolae Catullum suum, cujus exemplo se tuetur, ut durum exagitet: nec nos certe ii sumus, qui tales lites dijudicare possimus, aut Terentiano, optimo Grammatico, obloqui debeamus, qui tales Iambos saepe, & recte quidem, carmini praefigi, ex Catullo praecipue evidenter demonstrat. Praeterea, unde no-

24 IN PRAEFATIONEM

bis constabit hoc displicuisse Veraniolis suis & Fabullis? Deinde, cur reprehensionem amicorum timuisset magis quam aliorum? Ego vero amicorum iudicium magni faciendum existimo; sed ab ipsis veniam magis sperem, quam reprehensionem reformidem. Sed missis illis naeniis, ad rem ipsam veniamus: nimirum *duriusculum* se fecit acerbitate illa qua invectus est in Asinium Marrucinum, carmine illo decantato, ubi dona Veranii & Fabulli sibi ablata reposcit.

*Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in loco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc falsum esse putas?*

Nimirum quod astu & dolo sudaria fuissent permutata, ideoque forsan negabat se quicquam surripuisse Marrucinus.

*Fugit te, inepte,
Quamvis sordida res & invenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui Tua furta vel talento*

Multari

ANIMADVERSIONES. 25

*Multari velit : est enim leporum
 Differtus puer & facietiarum.
 Quare, aut hendecasyllabos trecentos
 Exspecta, aut mihi linteum remitte.
 Quod me non movet aestimatione ;
 Verum est μνημόσυνον mei sodalis.
 Nam sudaria setabe ex Ibera
 Miserunt mihi muneri Fabullus
 Et Verannius : haec amem necesse est,
 Ut Veranniolum meum & Fabullum.*

Haec sunt *priora setabe*, (nam & altera memorantur carmine demum vicesimo tertio) quibus *permutatione* fordida sibi ademptis, duriusculum se fecit.

Quae volebat aestimari a Veraniolis suis & Fabullis] Mss. Murb. Lond. ut & Ven. i. *quam volebat extimari a Vernaculis tuis & famulis* : nisi quod in Murb. *Veraniolis*. Quod quum non intelligerent exscriptores, fecerunt *Vernaculis* ; deinde *tuis ex suis* ; & *Famulis ex Fabullis*. Sed frustra, antiquum habemus. Nam ex Catullo, jam duriusculo & minaci legimus *Veraniolis*, & ex utroque *suis & Fabullis*. Ut jam omnia eodem conspirent : nisi quod Harduinus ex *quam* fecit

cit quoniam, & post aestimari addiderit *ed:*
 Sed his nihil necesse est, quum leviori
 opera medicina fieri possit. Quare totum
 hunc locum, jam qualicumque luce dona-
 tum, sic repraesento. *Libros naturalis His-*
toriae . . . natos apud me proxima fetura . . .
narrare constitui Tibi, Jucundissime Impera-
tor . . . : namque tu solebas, meas esse aliquid
putare nugas: ut objicere moliar Catullum,
conterraneum meum Ille enim, ut scis,
permutatis prioribus setabis, duriusculum se
fecit: quae volebat aestimari a Veraniolis suis
& Fabullis: ut sit sensus; Sic quoque Tu,
 ut verum amicum & contubernalem ve-
 terem decet, ita meos libellos accipies, ut
 pro tuis dehinc tuearis & defendas, non
 operis aestimatione, quae Te parum mo-
 vere debet, sed quasi *μνημόσυρον* tui sodalis.
 Hoc patrocinium mihi meisque faciam ista
 nuncupatione, hunc clipeum Catullianum
 reprehensoribus objiciam, & tanto quidem
 securius, quod Tu, pro Tua benignitate,
 magis quam merito meo, ea, quae publi-
 cavi haecenus, haudquaquam aspernatus
 sis. Linthea autem sudaria *setabe* aut *setaba*
 quod adtinet, ex Hispaniae urbe nobi-
 lissima

ANIMADVERSIONES. 27

lissima Setabi, hodie *Xativa*, quanto in pretio fuerint, vel ex Catullo intelligas, aut si mavis ex nostro, Lib. XIX. §. 2. aut Silio Italico, Lib. III.

Setabis & telas Arabum sprevisse superba.

aut Gratio denique,

At contra nostris imbellia lina Faliscis.

Hispanaeque alio spectantur Setabis usu.

nisi & auctoritati nostrae aliquid tribuas, qui non ita pridem, fervente adhuc Hispanico bello, Valentiam regionem peragravimus & Setabi quoque per aliquot dies commorati, campos ejus liniferentes & amoena vireta perlustravimus, atque etiam oppidi excidium ultimum non sine lacrymis vidimus, & scriptis quoque, ne interiret memoria, consignavimus, operis Gallici Libro X. cui titulus, *Histoire du XVI. Siécle.*

Simul ut hac mea petulantia fiat] Altera jam ratio, cur Tito suos libros nuncupet; obsequium scilicet Imperatori & amico debitum.

debitum. Cum enim hic nostrum jam ex veteri contubernio amaret & sua omnia maximi faceret, atque adeo aliam epistolam ab eo nuper acceptam tantopere probaret, ut non publicatam fuisse quereretur; Plinius nunc tanti viri exoptulatione permotus, ut ei quoquo modo satisfaceret, alteram hanc, aequè liberam & familiarem epistolam ad eum scribit, & ne iterum intereat, libris suis praefigit, una cum iis publicandam. *Simul ut hac mea petulantia fiat, quod proxime non fieri questus es in alia procaci epistola nostra, ut in quaedam acta exeant, sciantque omnes quam ex aequo Tecum vivat Imperium.*

Ut in quaedam acta exeant] Sic libri omnes & Ven. 1. Rhenanus mallet *exeat*, Epistola scilicet & nuncupatio. Harduinus retinet *exeant*, scilicet libri naturalis Historiae: Ego potius ad *nugas* referrem, *Namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas*, atque ita porro: quod fere eodem redit. Sed perperam ex Pelicerio suo haec interpretatur Harduinus. *Existimatio scilicet ac pretium illud, quod iis libris ex tam insigni nuncupatione accessurum intelligeret.* Imo vero

vero aliud; existimatio scilicet jucundissimi Principis, qui tam facilem se praebeat, ut Epistolas liberiores, quas lepide noster *procaces* vocat, non solum placide & amanter accipiat, verum & sibi dicari publice & in quaedam acta exire ultro expetat. Ideoque non male Pelicerius, *quandoquidem quae principi nuncupata exeant, actorum publicorum speciem prae se ferre videntur*; quod est certissimum: sed gloriam principis praecipue, non suam, in eo spectasse, inde manifestum est, quod in laudes Imperatoris excurrit oratio: *sciantque omnes quam ex aequo Tecum vivat Imperium*, &c. Non tantum mei causa, ait, & spe patrocinii, Tibi dedico libellos, quos scio, jam pro Tuis habiturum; verum ut hac mea petulantia Tibi quoque fiat satis & dulcissimi obsequii officio defungar. Nam si de alia procaci epistola nostra nuper ad Te missa, questus es, quod non publicaretur, quasi Te tua laude fraudare voluerim, hanc aliam accipe, sed aequae liberam & procacem, eamque libris meis praefixam & publicatam; ut jam inde discant Romani, atque adeo totum Imperium,

um, qualis sis, quamque ex aequo tecum vivamus omnes. Hoc addit, sine dubio, adversus illos qui optimum Imperatorem rumoribus iniquissimis haud obscure infectabantur: ut jam vidimus.

Ex aequo tecum vivat Imperium] Quam sis comis & benignus erga omnes Imperii tui homines, ut qui Te, non solum colloquio nostro, sed & epistolis licentioribus laceffi, indulgenter feras, imo & saepius optes. *Imperium* autem dixit, quasi ut componeret cum *aequitate*, quae res dissociabiles esse credebantur & tamen in eo commixtae sunt & conciliatae. Vide Tacitum in Agricola, cap. 3. *libertatem miscuit & principatum*, & An. I. c. 4. *Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisca & integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis adspicere.*

Triumphalis & Censorius tu] Sic omnino legendum est, praecunte Murbac. *Censor justus exiesque consul: nec abludente Londinensi, Triumphale & Censorium ut exiesque consul: ut de emendatione Salmasii valde dubitare liceat. Sic enim ille legi jubet: Sciantque omnes quam ex aequo Tecum vivat Imperium*

perium, Triumphali & Censorio, ac Tribunitiae potestatis particeps, & quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter & equestri ordini praestas, Praefecto praetorio ejus, omniaque haec Reip. Et nobis quidem qualis in castrensi contubernio. Vide interim qua verborum & sententiarum granditate Principis laudes persequatur; quos honores congerat, Triumphum, Censuram, Consulatus, Tribunitiam potestatem, Praefecturam praetorii: hinc patri fides debita & servata, ordini equestri decus & ornamentum; quoniam ex eo ordine praefecti praetorio adsumebantur; & Reip. summa securitas; Amicis vero eundem plane se praebibat, quem ante fuerant experti. Torsit tamen aliquantulum hic locus Rhenanum, *Et nobis quidem qualis in castrensi contubernio*, quasi male cum proximis cohereat, ideoque ex *Murbacensi suo, omniaque haec reiprae est & nobis quidem &c.*; haec elicit: *omniaque haec Reipublicae. Praebes te nobis quidem qualem castrensi contubernio; nec quidquam in Te mutavit fortunae &c.* Verum Londin. & Ven. i. ut vulgo; nisi quod non *praefectus praetorio, sed praetorii*, ut semper loqui amant.

Tacitus

Tacitus & Plinius junior. Jam vero quare cupiebat haec publicari & in acta quaedam exire Titus Vespasianus, pulchrè vides: ut scilicet eo testimonio tam luculento confunderentur virtutum suarum obtrectatores, & posteris quoque monumenta ea relinquerentur, quibus optime nosci & demonstrari posset.

Nec quidquam in te mutavit] Lond. & Ven. 1. *Nec quicquam mutavit in Te fortunae amplitudo in bis, nisi ut prodesse tantundem posses ut velles. Sic fere Plinius alter, in Panegyrico, cap. 24. Solum ergo Te commendat augetque temporis spatium. Junxisti enim ac miscuisti res olim diversissimas, securitatem olim imperantis & incipientis pudorem. Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis: manet Imperatori, quae prior oris humanitas; dextrae verecundia: incedebas pedibus, incedis; laetabar laboribus, laetaris; eademque omnia illa circa Te, nihil in ipso Te fortuna mutavit.*

Nobis audacia sola superest] Nos vero, qui Te facilem ac jucundum quotidie experimur, ac plane eundem ac olim in castrensi contubernio, non possumus Tecum ita
timide

timide & verecunde agere: & profecto obnoxii esset animi, non eadem ora atque oculos ostendere principi, quibus ab eo tam blande & comiter excipiaris.

Perfricui faciem] Nempe ex ista tua facilitate animum volui sumere & pudorem excutere; *nec tamen profeci; quoniam alia via occurris ingens.*

Ingenii fascibus] Sic optimus Londinensis, non *ingentis*, ut Murb. & Ven. 1. Unde Rhenanus faciebat *ingenitis*. Eodem fere sensu. Opponuntur hic autem *Imperii* & *Ingenii* fasces, rara fatis felicitate in eo principe conjuncti: illi quidem populo, aut turbae tumultuosae timendi, non Plinio, cui ad Titum facilis aditus; hi autem, non populo, sed maxime Plinio formidabiles, qui novit quali viro, quam praestantis ingenii & eloquentiae, opus suum dedicet.

Facundiae] Sic edidimus ex Londinensi & Ven. 1. suffragante Rhenano: quamquam & *facundia* ferri possit.

Quanto tu ore patris laudes tonas] Quae modo *fulgurabat* in Tito eloquentia, jam *tonat* & quidem in loco, quando nimirum Patris sui virtutes sunt extollendae: quod

34 IN PRAEFATIONEM

fidei pariter & pietatis argumentum, omnibus, sed principibus viris maxime, commemorandum existimo.

Quanto fratris amas] Harduinus: *Quanto studio fratris tui laudes aemularis, quem poëtica arte scimus eximium.* Verum, ut facile concedatur *amare laudes* dici posse, non inde sequitur hoc idem valere quam *laudes aemulari*; neque etiam placet *quanto* ORE AMAS; ut de ea lectione merito dubitarint viri eruditi. Certe Dalecampius, inter variantes & hanc refert, *quantum fratrem amas!* Sed hoc nihil ad *ingenium*; cuius tamen fascibus praecipue se submoveri confitetur. Propius vero Rhenanus, *animas*: unde Exscriptores, ob similitudinem litterarum *ammas* fecerint & novissime *amas*. Ut ut sit, ea certe lectio praefenda est, quae dum ingenium Titi aut eloquentiam laudat, fraternae quoque caritati se se accommodet, quae fuit in eo plane singularis.

Quemadmodum fratrem quoque imitareris excogitasti.] Titusne an Domitianus fuerit, cui dicatum sit hoc opus, major olim, quam nunc est, Eruditorum concertatio fuit.

fuit. Pro Tito multa faciunt, quae, post Barbarum & alios, accurate satis enumeravit Harduinus, & eo fere inclinant omnium bonorum animi. Quis enim aequo animo ferat virum integerrimum, ut certe noster erat, tam flagitioso mox principi ita adulari, ut eum *Imperatorem & jucundissimum* quidem nominet, *Triumphalem & Censorium* faciat, *Praefectum praetorii & tribunitiae* quoque potestatis participem: quae omnia de Tito ut verissima sunt, contentantibus Historicis, de Domitiano, iisdem tacentibus, non possunt non esse falsissima. Torfit me tamen aliquando, fateor, hic, quem nunc prae manibus habemus, locus: *quemadmodum fratrem quoque imitareris excogitasti*; ut modo hunc, modo illum imitatore suspicarer. TITUS Suetonio *Latinae Graecaeque linguae, vel in orando, vel in fingendis poematibus promptus & facilis ad extemporalitem usque*: Eutropio *facundissimus, qui causas Latine egerit, poemataque & Tragoedias Graece composuerit*. DOMITIANUS autem, si Tranquillo credimus, *simulavit & ipse mire modestiam, in primisque Poëticae studium, tam insuetum antea sibi,*

36 IN PRAEFATIONEM

quam postea spreto: quod mutuatum ex Tacito facile credas: *simplicitatis ac modestiae imagine in altitudine conditus, studiumque litterarum & amorem carminum simulans, quo velaret animum & fratris aemulationi subduceret*; hoc est, ne ambitionis aut rerum novarum infimularetur, dum haec levia captaret. Jam vero si ex istis lineamentis imaginem utriusque tibi praeformes, non Titus, qui promptus & facilis in ea re, sed Domitianus, qui totum hoc studium, qualecunque fuerit, ex simulatione magis quam ex naturae impetu adripuerit, tibi videbitur imitator: cui propterea non primae, sed secundae semper tribuuntur partes. Et tamen hic primas auferre videtur Domitianus, qui fratris imitationi praeponatur. Quanto verius dixisset: *O mira foecunditas animi, quemadmodum frater quoque Te imitaretur excogitasti!* & sic quoque legendum censuit Paulus Cigalinus, dum hunc ictum voluit evitare. Sed quoniam ejus lectionis testes nullos adhuc vidimus, nec invitae libris aliquid ejusmodi divinare liceat, videamus & ipsi qua ratione sibi constare possit ingeniosissimus

geniosissimus Plinius. Nihil muto. Domitianus, jam patre principe, animum condens, poëticae se dedere simulavit & recitavit etiam publice, sive ex ingenio suo, sive aliorum operâ, ut se fratris aemulationi subduceret; ideoque totus fere in carminibus pangendis fuit. Titus vero sub Patre, non jam privatus, sed Imperator, patrisque collega, imo vero tutor imperii, ut etiam epistolas dictaret & cetera Reip. officia capesceret, non tantum ab re sua otii sibi habebat, ut poetam ageret; sed hoc, ut sibi minus decorum, fratri otioso relinquebat, ita tamen, ut rebus suis ferentibus, nonnunquam cum fratre ludendo congregeretur & amice certaret, facilitatem & promptitudinem suam in his levioribus exercens. Hinc illa *foecunditas animi*, qua cum ceteros domi militiaeque in omnibus aequasset aut superasset, fratrem etiam in his naeniis non dedignabatur imitari.

Sed haec quis possit intrepidus aestimare]
 Quae confidentia & temeritas mea esset, inquit, si haec, quae Tibi offero, intrepidus aestimarem, hoc est, sine ulla ha-

sitatione verum iis pretium statuerem, jam jam subiturus ingenii tui iudicium, ista nuncupatione laceffitum?

Nec doctissimis &c.] Haec sunt Lucilii, quae Cicero mutuatus est, & inde repetit noster. Sed in Codicibus mira varietas: Londinensis, *Nec doctissimos manium persium haec legere volo, junium congum volo.* Ven. I. *nec doctissimum omnium persium haec legere volo, junium lelium volo.* Sed veram lectionem e Murbacensi suo restituit primus Cl. Rhenanus & adoptavit Harduinus: quem vide.

Qui primus condidit styli nasum] Qui primus inter nos Satyram invenit. Sic infra, *pingendi fingendique conditoribus: modus loquendi nostro perfamiliaris.* Hic vero, in Ven. I, magnus purpurae pannus adfutus est, quem uncis inclusum exhibere tibi volumus. *Qui primus condidit styli nasum [legerit quasi abusionem & vituperationem reputabit. Primus enim satyricum carmen conscripsit, in quo utique vituperatio uniuscujusque continetur. Nasum autem dixit quasi vituperationis signum, vel maxime naso declarandum] dicendum [est si advocatum] sibi putavit &c.* Atque haec eadem fere, sed

in margine Londinensis reperiuntur, manu recentiore conscripta : ut dubium non sit qua ratione in textum primae Editionis irrepperint : & utinam quidem haecenus.

Quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimur] Sic Londinensis, Murbacensis & Ven. 1. nisi quod haec Latinius forsan & melius *cautius*, non *causatius*: voce mihi suspecta, quam alibi unquam legisse me, non memini. *Defendimur* autem, non *defendimus*, ut Harduino placuit, quamvis utrumque in suis repperisset. Nos Plinio obsequentiores primum praetulimus: ut supra de Cicerone, & *quod miremur*, inquit, *per advocatum defenditur*.

Et repulsis, tanquam honoribus inemptis, gaudentem] Nos primi omnium ita reposuimus, suadente viro summo, Corn. Tacito, in Historiarum secundo, cap. LX. *Mario Celso consulatus servatur: sed creditum famam, obiectumque mox in Senatu Caecilio Simplici, quod EUM HONOREM PECUNIA MERCARI, nec sine exitio Celsi voluisset. Restitit Vitellius, deditque postea consulatum Simplici, innoxium & INEMPTUM.* Vide quam belle sibi conveniant ejusdem aevi scriptores! sensu ex-

40 IN PRAEFATIONEM

imio, & *repulsis*, inquit ille, *tanquam honoribus inemptis gaudentem*: hoc est, quasi ipsos honores adeptus esset, non malis artibus, non pecunia & ambitu, sed meritis suis & libera omnium bonorum consentione, quae fuit & Marci Tullii peculiaris exultatio. *Itaque non me, inquit, extremis suffragiorum, sed primi illi vestri concursus; non singulae voces praeconum, sed una voce uniuersus populus Consulem declaravit.* Sunt qui tamen *ineptis* gaudeant, ut legitur in omnibus libris; sed quis non videt id factum fuisse *elisâ lineolâ*, quae prius *ineptis* superaddita veram lectionem repraesentabat? Cur enim eos honores despiceret Cato, quos honeste petierat & sancte administrare poterat? Alii non *ineptis*, quod certe ineptum est, sed *indeptis*, ut in Londinensi quoque, sed manu recentiore litterâ *d* superposita. Ridiculum; quasi non potuisset Auctor, & mollius quidem, *adeptis* ponere, si hoc voluisset. Rhena-nus denique non *ineptis*, neque *indeptis*; sed *meritis* simpliciter, tum ob scripturae similitudinem, tum etiam ex sensu, quem eximium putat, & *repulsis, tanquam honoribus*

bus meritis, gaudentem: quasi laudis & meritorum conscientia se se consolaretur. Quae quidem conjectura, an verissima sit, ut ille opinatur, aliorum iudicium esto.

Quod tum Porcio innocentia rebus humanis summa inesset.] Sic optime hunc locum restituit ex Murbacensi suo Rhenanus. Ita enim in eo legitur, *hoc se facere quod tum pro innocentia rebus humanis summum esse profitebantur*: ut ex *porcio*, male seu breviter scripto, amanuenses fecerint *pro &* deinde ex *summa inesset, summum esset*, levi differentia. Nec aliter Londinensis, *quod tum pro innocentia emus humanis summum esset*: quin imo & Ven. 1. *quod tum per innocentiam rebus humanis summum esset*. Harduinus vero post alios, *hoc se facere pro innocentia (quod in rebus humanis summum esset) profitebantur*: quasi id referat ad innocentiam Candidatorum. Verum multa sunt, quae in eaelectione merito culpentur: & primum quidem priorum verborum suppressio, quae servari debebant, **QUOD TUM pro innocentia &c.** deinde particulae transpositio; **QUOD in rebus humanis summum &c.**; quasi de industria facta, ut constaret

ret parenthesis : porro ipsa verborum constructio vitiosa : quis enim ferat, *hoc se facere pro innocentia, quod in rebus humanis summum esset*, quasi non potuisset dicere, *quae rerum humanarum summa esset*, si hoc significare voluisset : denique & personae laudatae oblivio, Catonis scilicet, non Candidatorum, qui ea lege pecunias deponerant apud virum innocentem & integerrimum, *ut ejus arbitrato honores peterent & qui contra fecisset, ab eo condemnaretur*, ut diserte Cicero ad Q. Fratrem Lib. 2. Ep. 15. *quae quidem comitia, inquit, gratuita si fuerint, ut putantur, plus unus Cato fuerit, quam omnes leges, omnesque judices. Et hoc est ipsum quod Plinius dicit, quod tum Porcio innocentia rebus humanis summa inesset : sive, quod tum Porcii innocentia in rebus humanis summa esset. Adde & sequentia : inde & illa nobilis M. Ciceronis suspiratio, O Te felicem, Marce Porci, a quo rem improbam petere nemo audet ! Haec illa est innocentia, haec integritas plane singularis, quae tum, difficillimis scilicet temporibus, Reip. statu plane turbato, rebus humanis summa erat : quod & Sallustius in illa praecleara*

clara Caesaris & Catonis comparatione confessus est. *At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime severitatis erat: non divitiis cum divite, neque factione cum factioso: sed cum strenuo, virtute; cum modesto, pudore; cum innocente, abstinentia certabat.*

Adeo summum quisque causae suae judicem facit quemcunque quum eligit] Sic plane Ven. I. ut Murb. quoque, & Codices Harduini melioris notae. Unde ille, *vulgo in editis, QUEMCUNQUE ELIGIT; quasi priorem Editionem de industria neglexisset.*

Unde provocatio adpellatur] Sic in omnibus Mss. & Edd. sed haec suspecta visa sunt viris doctissimis; nec immerito sane. Quis enim credat Plinium nostrum tam putide cum Imperatore erudito agere, ut ipsum docere velit unde provocatio adpellatur? Aliquid certe latet, quod subodoratur Harduinus, quum rectius scribi putat, *unde provocatio expellatur.* Gallice dicimus, *dont on ne peut plus appeller.* Et hoc est ipsum quod Plinius voluit, quum *summum judicem* dixit eum quem eligis: atque etiam Candidati voluerunt, quum profiterentur se ideo pecunias suas apud Ca-
tonem

tonem deponere, atque adeo eum rerum
suarum arbitrum facere, quod ei talis in-
nocentia esset, quae *summa* tunc in rebus
humanis existimaretur. Sic Cancellario suo
designato quondam Rex Galliae, *Non Te
elegissem*, inquit, *si novissem meliorem.*

*Et ideo subit cura, ut quae tibi dicantur Te
digna sint*] Murbacensis simpliciter, *Et ideo
cura, ut quae tibi dicantur tum digna sint.*
Londinensis, *Et ideo curavi quod tibi dicantur
cum digna sint.* Ven. I. *Et ideo immensa
praeter ceteras subit cura, ut quae tibi dicantur
tui digna sint.* Hermolaus praefert
condigna sint. Sunt qui & *tui* defendant,
vel Cicerone avvocato, *Suscipe curam Et
cogitationem dignissimam tuae virtutis.* Sed
haec sunt levioris momenti.

*Nec admittunt excessus, aut orationes, ser-
monesve*] Excessus ii mihi videntur esse,
quos Gallice dicimus, *des traits brillans Et
bardis, des saillies hûreuses Et surprenantes* :
in quibus Orator, aut Poeta modum, sui
fere oblitus, excedere videtur. Vide om-
nino C. Plinium Caecilianum, Ep. 26. lib.
IX. ubi hoc argumentum fusius tractat &
multa id genus tum ex Homero, tum ex
Demosthene congerit.

Non

Non alia jucunda dictu, aut legentibus blanda, sterili materia] Murbacensis tantum, *jucunda dictu aut legentibus blanda, sterili materia: & sic quoque Londinensis. At Ven. I. Nec jucunda dictu &c. quod forsan melius.*

Quae Graeci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocant] Sic quoque Londinensis, sed Latinis literis, *thesneydiopedias*, quod non intellexit, qui scribebat.

Ut in fastidium sint adducta] Murbacensis, *ut in fastidium adducta. Londinensis, sint ducta. Ven. I. adducantur.*

Et Naturae sua omnia] Sic nos intrepidi posuimus, invitis licet omnibus libris atque editionibus: cum prius ubique legeretur, *& naturae suae omnia. Quod, quia confidentiae forsan nimiae speciem habere videbitur, operae pretium est attendere & rem cognoscere. Postquam Auctor multa praeclare de Imperatore, de se autem quaedam modeste praemiserit, jam ad operis argumentum & difficultates progreditur. Rerum natura, inquit, hoc est vita narratur Praeterea iter est non trita auctoribus via . . . Nemo apud nos qui idem tentaverit,*

tentaverit; nemo apud Graecos, qui unus omnia Jam vero adtingenda quae Graeci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, & tamen ignota, aut incerta ingenii facta Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam & Naturae sua omnia, hoc est illi Rerum naturae, quam supra dixit & quasi totius operis sui argumentum praemonstravit; ideoque & tanti incoepti granditatem considerans, haec subjungit: Itaque etiam non adsecutis, voluisse, abunde pulchrum atque magnificentum est. Quid enim magnificentius, quam Naturam universam scriptis suis pandere & quasi legentibus ante oculos proponere? Qui autem legunt, omnibus vero naturam & naturae suae omnia, dicant mihi, si volunt, quid sit omnibus dare suam naturam? Nimirum singulis rebus suas proprietates tribuere; quod ego aio & sibi voluisse Plinium quovis pignore adfirmo. Sed quid erit deinde, naturae suae omnia; nisi putidam ejusdem plane sententiae repetitionem, auctore nostro prorsus indignam? Quanto verius & instituto convenientius,

entius, singulis rebus naturam suam reddere, quod est utilitatis ; & Naturae vero, cujus Historiam aggreditur, omnes divitias, Caeli, terrae, maris, aeris, hominis, animalium, piscium, volucrum, atque adeo insectorum, fideliter & ex ordine percurrere ; quod est *magnificentiae* ! Ut omnino eo respexisse videatur suae sororis filius Caecilianus, Lib. III. Ep. 5. ubi, inter Avunculi Libros, hos quoque Naturalis Historiae recenset & optime laudat : *opus diffusum, inquit, eruditum, nec minus varium quam ipsa Natura.*

Populi gentium victoris] Sic fere noster ubique, qua data occasione, Pop. Romani laudes extollit ; sed inde praecipue, quod ceteras gentes domuerit. Vide nos in Gallico opere, *Histoire de la Peinture ancienne*, p. 156. ubi hunc locum Libri 35. egregie sanavimus ; *aliae foris & circa limina domitorum gentium imagines erant, adfixis hostium spoliis ; cum prius legeretur domitarum gentium, sensu absurdo.*

Ex quaesitis auctoribus] Sic reposuimus ex Ms. Lond. & Ven. 1. ubi diserte *exquisitis*, non ut alii, *ex exquisitis*, quod durum

rum prorsus & Plinii nitore indignum: cum & apud Tacitum, *quaesiti honores*, atque etiam *quaesitissimi* dicantur; & satis verisimile sit Librarios plerumque, dum male exciperent dictantis voces, non bene scripsisse. Nisi quis praeferat, *exquisitis auctoribus*, sine praepositione geminata.

Triginta sex voluminibus] Et tamen haec ad Titum praefatio quasi *liber primus Natur. Historiae* habetur & nominatur, contra fidem Auctoris & codicum. Certe noster Londinensis ab initio haec habet; *Epistola libris praemissa*; quae videntur antiquioris aevi.

Subcisis temporibus] Sic Mss. omnes & Ven. 1. Hoc autem a Cicerone; cujus volumina ediscenda existimat. Sic enim ille in I. volumine, de Legibus: *Subcisa quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior.*

Ne quis vestrum putet his cessatum horis] Sic plane Murbacensis, Londinensis & Ven. 1. nisi quod *putetis*, non *putet his*. Unde Rhenanus suspicabatur, *Ne quid vestris putetis cessatum horis*. Quod deinde a Dalecampio adreptum, vulgo receptum est;

est; honesta oratione. Nocturnis, inquit, subcivivisque temporibus ista curamus, ne forte putes, Tu, aut Pater, quibus utique temporis & otii rationem debere me existimo, vestris horis ita cessasse; ut neglectis officiis, dies totos his naeniis consumerimus: haudquaquam ita est, Imperator. Dies vobis impendimus, interdiu vobis & Reip. laboramus; noctu vero & horis nostris haec levia tractamus. Cui quidem sententiae an faveat Caecilianus, in Epistola illa de Avunculo & operibus ejus, viderint acutiores. *Ante lucem, inquit, ibat ad Vespasianum . . . nam ille quoque noctibus utebatur; inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum, quod reliquum temporis studiis reddebat . . . aestate, si quid otii, in sole jacebat; liber legebatur, adnotabat, excerpebatque.* Sunt tamen & libri veteres, in quibus disertè legitur, *Ne quis vestrum putet his cessatum horis:* quod praetulit Harduinus

Musnamur] Sic ex suo Colb. 2. post Turnebum edidit Harduinus. Sic quoque & in suo Murbacensi Rhenanus invenit: verbo a Musis deducto. Hinc & supra;

E

novitium

50 IN PRAEFATIONEM

novitium Camenis Quiritium tuorum opus.
 Neque abludunt Londinensis & Ven. 1.
 ille, *muffinamur*; haec, *musitamur*; levi ut-
 trimque differentia. At Chiffletianus, *mug-*
ginamur, hoc est, *nugamur*, tarde aut *neg-*
ligentius conamur, testibus Festo & Nonio,
 item Cicerone ad Atticum, Lib. II. Ep.
 12. *De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi*
quidquam rescribis, cepi consilium domesticum.
 Et hic quoque *muginamur* scripsisse Plini-
 um contendit Rhenanus, unde prodierit
 glossa, *muffitamur*, quae paulo post in tex-
 tum irreperit. Quin & Josephus Scaliger
 eandem lectionem in notis ad Festum con-
 fitetur. Ut ut sit, locus ille Ciceronis,
 quem in partes adpellant, *dum tu mugina-*
ris, nec mihi quidquam rescribis, quomodo
 conveniat huic nostro Pliniano, non video.

Nec fiducia operis haec est, sed indicatura]
 Sic plane Londinensis & Murbacensis:
 At Ven. 1. *Nec fiducia operis haec est indica-*
tura: quasi voluerit, *Haec fiducia operis,*
haec est indicatura: ut fere Hermolaus e
 veteri lectione. Ut sit sensus: Cum mea
 intrepide aestimare non audeam, multo
 minus ea digna judicare, quae Tibi offe-
 rantur,

ANIMADVERSIONES. 51

rantur, haec saltem operis fiducia restat, hoc verum ejus pretium, quod Tibi dicari voluisti. *Indicatura* autem nota est, qua solemus alia ab aliis fecernere, sive naturalis ea sit, sive hominum instituto aut arbitrio rebus adscripta.

Nos quidem omnes, Patrem, Te, Fratremque] Novum & indubitatum argumentum, haec Tito, non Domitiano esse dicata: alioqui justa reprehensione non caruisset Plinius, qui naturae & dignitatis ordinem non servasset; & Titus haud dubie aegre tulisset.

Temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii] Murb. & Lond. *a fine aut fide*; nimirum *Aufidii*; quod quum male scriptum invenissent amanuenses, non bene reddiderunt. Quin & in Londinensi haec duo verba, *aut fide*, obelo transfixa sunt, manu, credo, recentiori; ideoque & a primo Editore neglecta, quasi damnata & stylo confossa. Alii postea reposuere *Aufidii Bassi*, ex epistola, ut videtur, C. Plinii junioris.

Jam pridem peracta sancitur] Sic Mss. omnes, ut & Ven. 1. & aliae quoque veteres

52 IN PRAEFATIONEM

res Editiones: sensu, ut mihi quidem videtur, eximio. Jam pridem a me peracta historia haec, amicorum nunc iudicio & censurae subjicitur, ut eorum calculo & quasi sanctione confirmata, in publicum prodire audeat: audaci forsan loquendi modo, sed haudquaquam a nostri acumine & granditate abhorrenti, qui vel in limine Epistolae voluerit, ut sua *in quaedam acta exeant*: quarum quidem locutionum eadem fere sententia est. Nam & acta & edicta, tum vero sancuntur, quando legitima auctoritate confirmantur & subinde prodeunt. Quod si considerasset attentius nobilis ille Delphini Commentator, nunquam eam lectionem sollicitasset; neque suum *sancitur* substituisset, nullo exemplo aut argumento idoneo, reclamantibus libris atque ipsa etiam ratione. Cum enim dixisset, *ubi sit ea, quaeres?* Jam Imperatori respondet, *Peracta sancitur*, quasi diceret; Non diu exspectabis; postquam enim amicorum iudicio & censura emendata fuerit, statim publicabitur. Non tamen sine auctoris verrecundia; *Et alioquin*, ait, *statutum erat heredi mandare, ne quid ambitioni dedisse vita judicaretur.*

judicaretur. Satius esset, inquit, eam adhuc premere & heredi mandare, ut pudori meo & existimationi consulerem; sed vincit obsequium Imperatori optimo & jucundissimo debitum. Non me latet haec plane aliter ab Hermolao intelligi. *Dudum,* inquit, *perfecta est, sed inter arcana custoditur sanciturque:* quasi eo animo scriberentur historiae, ut inter arcana deponerentur; aut ex bonis auctoribus non liqueret quaevis, aut sententia huic vocabulo subsit. Apud Ciceronem certe ea sancuntur omnia, quae fiunt publici juris, edicta, leges, acta, jura, foedera, quando scilicet eâ auctoritate muniuntur, ut jam ab omnibus legi & observari debeant.

Ne quid ambitioni dedisse] Vivente scilicet cum liberis suis Principe Vespasiano, quibus ut adularetur, historiam suam conscripsisse obtrectatores clamitassent.

Proinde occupantibus locum faveo, ego vero & posteris] Quamvis ea nunc sanciat, inquit, mox in lucem emittenda historia, non tamen ita propero, ut aliis occupantibus locum aut succenseam, aut invideam; imo vero & posteris faveo, quos scio no-

54 IN PRAEFATIONEM

biscum decertaturos, ut nos fecimus cum prioribus. Quosdam videtur innuere, ejusdem argumenti historiam forte tum cogitantes: inter quos numerari forsan & Tacitus potest, qui *dignitatem suam a Vespasiano inchoatam* ipse in Historiarum initio confitetur.

Argumentum hujus stomachi] Hoc est, ingenii & indolis. Sic Plinius alter, Ep. 14. Lib VI. *Mei certe stomachi haec natura est, ut nihil nisi totum & merum velit.*

A juratissimis] Sic libri omnes, ut & vetus Editio, liquido sensu. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a juratissimis & proximis veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos. Quem locum egregie emendasse se nullus dubitat Beatus Rhennus, dum reponit *a furacissimis*: quasi vero mirum esset, homines furaces aliena excubere atque pro suis venditare: quum contra id fieri a juratissimis, non possis non mirari, aut etiam stomachari. *Furatus* enim is dicitur proprie, qui suam sacramento fidem, sive publice, sive privatim obstrinxerit: ut passim *juratus* senatus, iudex, consul, *juratae* cohortes; sed & latiori sensu, qui magnam fidei & candoris speciem

speciem prae se ferre uidetur, ut sunt auctores fere omnes & Historici praecipue; quo nomine quoque satis urbane deridentur in ludo Senecae de morte Claudii Caesaris: *Haec ita vera si quis quaesierit unde sciam; primum, si noluero, non respondebo: quis coacturus est? . . . Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit: quis unquam ab Historico jurato res exegit? Jam vides & ἐρωτησῶς juratum dici; quidni & juratissimum? Quae dum otiosus adnoto, non queo non meminisse Arnaldi & Malebranchii altercationum; qui cum ingenio & eloquentia pares, animosissime aliquando inter se contenderent & malae fidei se invicem insimularent, jurare ille continuo & quovis sacramento se purgare instituit: quod genus defensionis alter cum repudiaret, atque etiam satis aperte derideret, insanire vero Arnaldus tum coepit & crudelitatem Adversario exprobrare diris modis. Succurrit hic quoque lepida illa Varillafii excusatio, qui, cum instarent multi & expostularent, ut diceret unde sua portenta historica hausisset; confidenter, ut solebat, *Non indicaturum unquam,* respondit,*

pondit, quoniam silentii fidem sacramenta obstrinxisset.

Quae volumina ediscenda] Virgiliana scilicet & Tulliana: non, ut vulgo, *quae volumina ejus ediscenda*, ut referatur ad Ciceronem, excluso Marone. Quod contra, auctore Rhenano: nam in Murb. Lond. & Ven. 1. *ejus discenda* tantum, ut ex praepositione *e*, *ejus* fecerit Interpolator: sensu frigido & invenuto, aut certe nullo.

Cum sors fiat ex usura] Sic Mss. & Edd. omnes. *Sors* autem, ut alia significat, saepe etiam summam, ut notum est, aut primam pecuniam denotat; quae quamvis exigua sit, potest quam maxime ex alia mutuo accepta augeri, si accedat industria, & lucro facto reddatur mutuum. Quod certe fatius est, quam furari; cum si hoc facias, in furto deprehendi possis & rem simul ac famam perdere. Sic ille, qui ex alienis scriptis ea mutuatur, quae in rem suam faciunt & fatetur semper unde habeat, quod revera est mutuum reddere, tum reculam ipsam industrius auget, tum etiam honori suo & existimationi consulit. Qui vero fecus facit, & alienis, tanquam suis

utitur, ne quidem de nomine adpellatis auctoribus, praeter ingrati animi crimen, quod turpissimum est, furti quoque maculam & poenas incurrit. Tum demum ipsi pereunt & fors & usura, & jam conclamare cum lenone Terentiano potest,

Hei mihi!

Etiam de SORTE nunc venio in dubium miser!

Usura autem hic esse videtur, non foenus, quod pro debita pecunia statutis temporibus creditori solvitur, ut putavit Harduinus, sed ipsissimus pecuniae usus, sensu hujus vocis primario, ut *lucis usura, temporis, vitae, corporis*, ut & *pecuniae* quoque: vel ipso Cicerone teste, Tusc. Disp. I. 108. *Natura dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die.* Jam vero ex ipsa usura sortem sive rem cuique fieri, quis neget? Et hoc est quod voluit Plinius: *Obnoxii, inquit, ingrati & infelicis ingenii est, in furto deprehendi malle, quam mutuum reddere, cum praesertim fors fiat ex usura: cum ex ea mutuatione & pecuniae acceptae usura rem facere debueris,*

bueris, aut certe legitime potueris. Quae, malum, iniquitas & iniustitia est, inquit, illum fraudare velle, qui Te divitem fecit !

Jam jam ἴα, &c.] Murbacensis, *Jam jam* mos, & Londinensis quoque, sed brevius *jam iamos*; ut facile cum Rhenano suspiceris, *Jam* ἴασις, quod *Violetum*, aut *Violationem* intelligi voluit. Nos, ex Editione omnium prima, *jam jam* retinuimus; quae vero sequuntur, quoniam in ea praetermissa sunt, tanquam Graeca, sed spatio relicto, ex aliis supplevimus. ἴα autem magis adrisit quam *Musae*; quanquam & hoc cum altero conjunxit Harduinus hoc modo: *Jam* ἴα, μουσαι, πανδέξαι &c. ut sint omnes Inscriptiones Graecis litteris scriptae: & recte hoc quidem.

Nostri crassiores] Murb. & Londin. iisdem fere litteris & apicibus, *nostri grossiores antiquitatum exemplorum artiumque facetissimi lacubrationem* puto quia ut baculus erat & vocabatur paulominus asserit Varro in Satyris suis *sustulit & flexiabula*; nimirum *flextabula*; quanquam Ven. 1. *flexibilia*, non *flexiabula*. His plane consonant Vetus Dalecampii & Harduini Reg. 2. *facetissimi Lucubrationem*

brationem puto quia vivaculus erat & vocabatur paulo minus asserit Varro in Satyris suis sustulit & flextabula. Unde & hic edidit, *Nostri crassiores Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque: facetissimi Lucubrationem; ut qui Bibaculus erat & vocabatur: paulo minus serio, Varro in Satyris suis Sesculysssem & Flextabula.* Quam lectionem ita in integrum se primum restituisse gloriatur diligentissimus Commentator. In integrum dixit, quoniam scilicet H. Vossius, vir celeberrimus, id ex parte jam fecerat & ei praeiverat hoc modo, *Obsev. ad Catullum, p. 32.* „ Ceterum non helluonem tantum, sed & bibaculum fuisse (hunc scilicet Furium) docet nos Plinius in praefatione magni operis, cujus verba, quia vulgo non recte se habent, & infeliciter admodum ea corrigere conatus sit vir magnus, in praefatione *Exercitationum ad Solinum, emendata adscribam: Nostri crassiores Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque. Facetissimi Lucubrationum: puto quia Bibaculus erat & vocabatur. Paulo nimis adserit Varro in Satyris suis sesquiulisse & πλάξ tabulis.* Quia iste Bibaculus non „ nomine

60 IN PRAEFATIONEM

„ nomine tantum, sed & re ipsa esset Bi-
 „ baculus & Lucubrationes pergraecandi
 „ gratia amaret, ideo dicit illum aliquanto
 „ facetius, quam reliquos, *Lucubrationum* ti-
 „ tulo libros suos inscripsisse.” Ergo *Lucu-*
brationum, non *Lucubrationem*, quod tamen
 praetulit Harduinus ex Nonio, cap. 7. cu-
 jus ego verba referam, quoniam ea quo-
 que nonnulla castigatione egere videntur.
 Sic autem ille in voce AUSPICAVI, pro
auspicatus sum. “ Plaut. *Perfa*, *Lucro faci-*
 „ *endo ego auspicavi*. Idem, *Sticho*; *Eam*
 „ *ego auspicavi in re capitali mea*. *Atta*,
 „ *Lucubratione*, *Cum primo luci hodie ut*
 „ *exornata sit, atque ut auspicetis cras est com-*
 „ *munis dies*.” Quae verba novissima, sal-
 vo Eruditorum judicio, sic emendo: *Atta*,
Lucubrationum primo; JUSSI HODIE UT EX-
 ORNATA SIT, ATQUE UT AUSPICETIS CRAS
 EST CONSTITUTUS DIES. Neque etiam pla-
 cet, paulo minus serio, jam antecedentibus
facetissimis: neque adeo paulo nimis adserit:
 ut omnino ampliandum existimem.

Quum publicae famae tympanum potius videri
 posset] Editio Veneta prima, quam saepe
 ut optimam adpellavimus; *Apion qui-*
dem

dem Grammaticus, hic quem Tiberius Caesar cymbalum Mundi vocabat, quoniam prae fama tympanum potius videri posset: ut voluerit Eximia, quum propriae famae tympanum potius videri posset: quod verissimum hominis fuisse vitium, ex sequentibus patet: immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat. His adde & A. Gellii censuram, Noct. Att. Lib. V. Cap. XIV. APION, qui Plistonices adpellatus est, litteris homo multis praeditus, rerumque Graecarum plurimam atque variam scientiam fuit. Ejus libri non incelebres feruntur, sed in his quae audivisse, vel legisse sese dicit, fortasse a VITIO STUDIOQUE OSTENTATIONIS, fit loquacior: Est enim sane QUAM IN PRAEDICANDIS DOCTRINIS SUIS VENDITATOR. Ergo, quem Tiberius Caesar Cymbalum Mundi vocabat, hoc est, publicum Eruditorum Laudatorem, eum noster propriae famae tympanum potius dicendum judicavit; hoc est, suae laudis venditorem clamosum ac molestum. Et Murbacensis quoque, quoniam prae fame; ut Rhenanus aliquando putaret de Apionis paupertate intelligendum, quasi prae fame ille, extenta pelle, Tympanum

num videri posset. Ego vero opinabar rugari cutem ex macie aut fame, non extendi. Virgilius certe, *distentas lacte capellas.*

Ex illis mox intelligi velim] Sic Murb. Lond. & Ven. i. sententia & constructione verborum ita flagitante: *Et ne in totum VIDEAR Graecos insectari, ex illis mox intelligi VELIM.* Nam si nos intelligi dixisset, ut voluit Harduinus, debebat utique *videamur* ante dixisse, deinde & *velimus.* *Mox* autem se intelligi voluit, quando nimirum libro septimo & novissimis quinque, de Pingendi, Fingendique conditoribus agetur; *quos in libellis his invenies,* inquit.

Sed & omnibus quos edidi] Scilicet libris, ex Murb. & Ven. i. quanquam & vulgata lectio ferri potest, *quae edidi.*

Ut obiter caveam istos Homeromastigas] Sic Ven. i. & Vetus Dalecampii, non *ob id.* *Homeromastigae* autem ii sunt Zoili, qui obtrectatione aliena scientiae famam aucupantur.

Paratos fuisse istos] Hoc est, Catoni ipsi paratos fuisse, scilicet, qui reprehenderent

&

calumniarentur. Sic Terentius in *Andria*, II. 1. *Ut Te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit: quae vis est hujus vocabuli non omittenda.*

Qui obtrectatione aliena scientiae famam sibi aucupantur] Sic reposuimus ex Murb. Lond. & Ven. 1. quanquam & vulgata ferri possit, *qui obtrectatione alienae scientiae famam sibi aucupantur.*

Multos fore qui vitilitigent] Hoc videtur ex fine praefationis huc translatum: *Ergo securi etiam contra vitilitigatores exsequemur reliqua propositi.* Nam & in Murba-censi, *multos fore qui ut eligant, & in Londinensi quoque; nisi quod manu recentiore superadditum, ita reprobent: quod utrumque ex aequo retinuit Ven. 1. qui ita reprobent ut eligant, nullô sensû. Rhenanus autem ex τῶ ut eligant, facit, vellitent: Scio ego, quae scripta sunt, si palam proferantur, multos fore qui vellicent.* Quod ut proprie dicitur de animalculis iis, quae infecta vocamus, quaeque plerumque *malefica*, ut ait M. Varro, dum artis aut naturae opus vellicant, *deterius faciunt: sic quoque usurpatur de obtrectatoribus ineptis,*

64 IN PRAEFATIONEM

aptis, qui, dum ipsi nihil boni efficiunt,
 aliena solent invadere: vel Horatio teste,
 Serm. I. 10.

Men' moveat, CIMEX Pantolius, aut cru-
ciet, quod
VELLICET absentem Demetrius?

atque etiam Cicerone, pro Corn. Balbo
 c. 26. *Quaquam istorum animos non est dif-*
ficillimum mitigare: more hominum invident,
in conviviis rodunt, in circulis VELLICANT:
non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt.

Eorum ego orationes sino praeterfluere] Lo-
 cus afflictus & paene desperatus. Londi-
 nensis & Ven. 1. ut & Regius Cantabrigi-
 ensis: *Eorum ego orationes sibi praetereo,*
 nullâ plane sententiâ. Murbacensis tan-
 tum, *Eorum ego orationes sibi praeter.* Unde
 Rhenanus suspicabatur, *Eorum coaxatione*
irriter? quasi stultus plane, aut fatuus ef-
 fet, qui ranarum coaxatione moveatur.
 Et certissimum est, totum hunc locum in
 membranis ita comparere, ut plurimum
 notis & litterarum compendiis constet:
Eor. ego oaones s. ptereo: unde facile errores
 oriantur;

orientur. Alii enim, *sibi praeter*; alii, *sibi praetereo*; alii, *ibi praetereo*; alii *silentio praetereo*; alii denique, *sino praeterfluere*. Quod quantum abeat a veteri scriptura, vident omnes; quantum autem accedat ad asperum illud & vehemens Catonis ingenium, Eruditi judicent. Meae quidem expectationi respondere haec si dixerò, parum candide cum legentibus egero. *Non queo mihi temperare*, inquit noster, *quominus ipsa Censorii Catonis verba ponam quid enim ait in eo volumine?* Aliquid praeclari sine dubio. Scio ego quae scripta sunt, si palam proferantur, multos fore qui vellicent, sed ii potissimum qui verae laudis expertes sunt. Et optime quidem haecenus: sequentia vero pro re, homine, atque etiam promissore, paulo molliora videntur: *Eorum ego orationes sino praeterfluere!* Quae lepide, ut solet, sed tamen obscure reddidit vetus Interpretres hoc modo: *Toutefois je laisse couler leur dire, comme on laisse aller l'eau par le bas. Neque Hollandus infacete; But surely, say what they will, I let their words run by, like rain water. Multo simplicius Dominicus, Lascierò dunque scorrere i ragionamenti loro.* F Nec

Nec respondere posse] Sic Murbacensis, Londinensis & Ven. 1. quasi non ab Afinio haec, sed ab aliis dicerentur, qui Plancum in eum volebant commovere. *Nec Plancus inlepidè, cum diceretur Afinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, nec respondere posse;* cum mortuis, inquit, non nisi larvas luctari. Jam si legas, *NE respondere posset,* ut ad ipsum referatur Pollionis consilium, tum vero ego dico, id satis sordidum per se & invenustum fuisse, ut nihil esset causae, cur tam plane enuntiaretur. Proinde aut haec redundantia tolle, aut cum Rhenano ex codicibus emenda.

Exsequamur reliqua propositi] Sic Ven. 1. quamvis Londinensis, *Exsequemur.* Perinde est, sed illud magis Phinianum.

Summaque cura ne perlegendos eos haberes operam dedi] Ven. 1. *ne legendos eos ab re operam dedi.* Londinensis, *ne legendos eos habere opam dedi.* Ut legendos omnino retinendum videatur, nisi placeat ejusdem vocabuli repetitio: *Tu per hoc & aliis praestabis ne perlegant.*

ISACUS VOSSIUS

In Observationibus ad Catullum.

Meas esse aliquid putare nugas] Ut paulo ante Trochaicum in prima fede, ita hic Iambum posuit, contra morem Latinorum; quorum auribus displicuisse hanc libertatem, facile colligas a Plinio, qui statim in Praefatione, ut obiter emolliret hunc versum, *nostras* maluisse videtur quam *meas*; quamvis in vulgatis Plinii exemplaribus id deprehendere non possis, utpote quae cum Catullo conspirent. Multis tamen non displicuisse insolentes istiusmodi syllabas, scimus e Martiale, *Verona docti syllabas amat Vatis*. Graecis praeterea familiare fuisse, ut in Hendecasyllaborum principio Iambum aut Trochaicum collocarent, docet Attilius Fortunatianus, qui Anacreontem & Sappho, cujus imprimis studiosus fuit Catullus, ipsum hoc factitasse scribit. Notum quoque Musicos cantibus suis saepe miscere *falsas voculas*, ut loquitur Cicero, III. de Oratore, ut nempe contraria con-

68 I N P R A E F A T I O N E M

trariis adposita magis elucescant. Ipsum hoc adfectasse videtur Catullus & hic & saepe alibi.

[ERGO non opus erat, ut hanc elegantiam, quam ignorare Plinius non poterat, sua emendatione turbaret. *Nostras* maluit dicere quam *meas*: Unde hoc constat? Ex aure? imo vero durissimum deprehenditur τὴν *nostras*, statim subsequente τῶν *esse*: Ex libris manu scriptis, an editis? sed illi non adpellantur; hi autem cum Catullo conspirant. An vero ex veteribus Grammaticis? sed & isti quoque Catullo favent, ut videre est apud Maurum Terentianum, de *Hendecasyllabo*:

*Sed primi pedis ante lex tenenda est,
Spondeon siquidem videmus istic
Tanquam legitimum solere poni:
Post hunc Daetylon, atque tres Trochaeos
Cui nomen quoque Phalaeco dederunt.
Verum mobilis hic locus frequenter
Nec solum recipit pedem, ut loquebar,
Spondeum; sed & aptus est Trochaeo:
Nec PECCAT pede natus ex IAMBO.
Exemplis tribus hoc statim probabis,*

Docti

ANIMADVERSIONES. 69

Docti carmine quae legis CATULLI:

CUI DONO LEPIDUM NOVUM LIBELLUM,
ARIDA MODO PUMICE EXPOLITUM?

MEAS ESSE ALIQUID PUTARE NUGAS.

Quos dixi modo jam pedes videmus

Diversos capiti trium locatos,

Spondeum, CUI DO..; Trochaeum, ARI.;

MEAS, quis neget hunc Iambon esse?

Et sic quoque Graeci ante Catullum, ut
supra monuerat:

Quem nos Hendecasyllabum solemus,

Tanquam de numero, vocare versum,

Tradunt Sapphicon esse nuncupandum:

Namque & jugiter usa saepe Sappho,

Dispersosque dedit subinde plures

Inter carmina disparis figurae.

Et revera si hanc licentiam usurpavit Ca-
tullus, de industria & data opera id fecit,
ut mollior scilicet & lenior inde fieret:
quare non erat causae ut iterum emollire-
tur. D. D.]

- | | |
|--|--|
| <p>1. LIBROS naturalis Historiae, novitium Camenis Quiritium tuorum opus, natum apud me proxima fetura...</p> | <p>..... natos apud me . . . <i>Ex Mss.</i></p> |
| <p>ib. Duriusculum se fecit, quoniam volebat aestimari ea a Veraniolis suis & Fabullis.</p> | <p>quae volebat aestimari a Veraniolis &c. <i>Ex Mss. & Ven. 1.</i></p> |
| <p>3. Quanto nos cautius ab aliquo Iudice defendimus?</p> | <p>Quanto nos cautius (<i>Ven. 1. Cautius</i>) ab aliquo iudice defendimur? <i>Ex Mss. & Ven. 1.</i></p> |
| <p>4. Quum apud Catonem, illum ambitus hostem & repulsis, tanquam honoribus ineptis, gaudentem.</p> | <p>& repulsis, tanquam honoribus ineptis, gaudentem. <i>Ex Corn. Tacito.</i></p> |
| <p>ib. Hoc se facere pro innocentia, quod rebus humanis summum esset.</p> | <p>Hoc se facere, quod tum Porcio innocentia rebus humanis summa inesset. <i>Ex Mss.</i> Non</p> |

EDITIO HARDUINI.

NOSTRA.

Non alia jucunda dictu, aut legentibus blanda, sterili materia.

Nec jucunda dictu, aut legentibus &c. *Ex Ven. I.* 5.

Omnibus vero naturam, & naturae suae omnia.

Omnibus vero naturam & Naturae suae omnia. *Ex ipso contextu.* 6.

Ex exquisitis auctoribus centum.

Ex quaesitis auctoribus centum. *Ex Mss. & Ven. I.* 7.

Jam peracta facitur.

Jam peracta sancitur. *Ex Mss. & Ven. I.* ib.

Quae volumina ejus ediscenda . . .

Quae volumina ediscenda . . . *Ex vestig. Mss.* 8.

Ex illis nos intelligi velim.

Ex illis mox intelligi velim. *Ex Mss. & Ven. I.* 8.

Ne respondere posset.

Nec respondere posse. *Ex Mss. & Ven. I.* 11.
Tri-

EDITIO HARDUINI.

NOSTRA.

2. Tribunitiae potestatis facundia.

Tribunitiae potestatis facundiae.
Ex Mss.

7. A fine Aufidii Bassi.

A fine Aufidii.
Ex Mss.

10. Omnibus quae edidi.

Omnibus quos edidi.
Ex Mss.

11. Qui obtrectatione alienae scientiae famam sibi aucupantur.

Qui obtrectatione alienae scientiae f. sibi aucup.
Ex Mss. & Ven. 1.

9. Jam musae.

Jam jam ^{ia.}
Ex Mss.

ib. Cum publicae famae tympanum potius videri posset.

Cum propriae famae tymp. &c.
Ex Mss.

F I N I S.



